IN OBITUM CLARISSIMI VIRI

D. D.

LUDOVICI DE PUGET,

ECLOGA,

AUTHORE PETRO BIMET,

E SOCIETATE JESU.



BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE

LUGDUNI,

Apud PHILIBERTUM CHABANNE in foro Franciſcanorum.

M. DCCX.

Digitized by Google

34. 5. F. 10

Digitized by Google

2

IN OBITUM CLARISSIMI VIRI D. D. LUDOVICI DE PUGET, ECLOGA.

TITYRUS, DAPHNIS, TYRSIS.

TITYRUS.

DAphni, quid argutâ blandum meditaris avenâ
Carmen? & alterno quid tu pede, Thyrſi, choreas
Plaudis? an ignari rerum, dum cætera luctus
Rura tenet, lætæ datis ambo libera menti
Fræna? latet vobis, latet, inclementia fati
Cœca quid abſtulerit? tulit heu!... ſed verba dolori
Immodico deſunt. Lacrymæ ſine voce loquantur.

DAPHNIS.

Nam quid fata parant? an quos incauta reliquit
Theſtylis, aut rapuit Lupus, aut fur abſtulit Agnos?
Tityre fare, precor; triſtem da noſcere caſum;
Ne, dum vera taces, pariant quoque falſa timorem.

Digitized by Google

THYRSIS.

Parce metu : tibi ſunt ſalvi cum matribus Agni.
Non hîc furta gregem minuunt, ſubitæve Luporum
Inſidiæ : Mopſi pietas hîc ſoſpitat agros.

TITYRUS.

Ah ! quid ais ? Mopſi pietas hic ſoſpitat agros.
Incolumes quondam, nunc ergo timete Capellæ ;
Et Lupus inſidias, & ovili triſtia fures
Damna ferent ; ex quo pecorum fiducia, Mopſus
Occidit, infandum ! quo vivere dignior alter
Non erat : ille animæ Mopſus pars optima noſtræ
Occidit, & viduis moriens decus abſtulit arvis.

DAPHNIS.

Tityre, quid narras ? potuit ſcelus impia tantum
Parca, nec erubuit ? Miſerum pecus, ite, Capellæ,
Nulla dehinc veſtro paſtori gaudia, nullus
Ruris amor, neque cura gregis, neque gratia cantûs ;
Nulla dehinc ſupereſt, niſi flendi dura voluptas.

THYRSIS.

Ergóne, Mopſe, jaces ; pietas nec flectere mortem ;
Nec potuit raro gravitas condita lepore ?
Eheu ! Mopſe, jaces, cui ſe natura videndam

Collibus in noſtris denſas exuta tenebras
Uſque dabat! Quis jam nobis, quis præcinet imbres
Venturos, ſegetive luem, pecorive cavebit?
Hoc erat, ah! memini, monuit quod ab Ilice Turtur
Triſtè gemens; raptoſque ſibi dum flebat amores;
Exitium nobis par impendere canebat.

DAPHNIS.

At vos, ô pueri, magni ſolatia luctûs
Parva quidem, noſtro carmen lacrymabile Mopſo
Dicite; ſublimem ſuper æthera tollite Mopſum,
Et Mopſum ingeminent valles; & litora Mopſum
Curva ſonent, Mopſiquè ferant ad ſydera nomen.
Intereà fatale premam ſub pectore vulnus;
Atque ſilens miſerum veſtro ſolabor amorem
Carmine: ſi tantos ſolantur carmina caſus.

TITYRUS.

Parce, puer, tacitum ſub corde vorare dolorem;
Quin potiùs triſtes abeant in carmina queſtus,
Carmina vicinæ quæ ſculpam in cortice Fagi.

THYRSIS.

Tu quoque, cantando celebrabis, Tityre, Mopſum!
Noſter erat communis amor, dum vita manebat;

Digitized by Google

Materies & erit juſtæ tribus una querelæ.
Incipe, Daphni, ſequar querulo te, Tityre, cantu.

DAPHNIS.

Sum rudis ad numeros; ſed erit mihi Mopſus Apollo,
Et dolor ingenium dabit. Adſis, Mopſe, canenti,
Adſis ô! noſtræque fave, velut ante, Camœnæ.
Tu decus omne tuis, tu gentis gloria noſtræ,
Tu probitate Jovem pecori, pecoriſque magiſtris
Placabas; & ſoſpes erat, te ſoſpite, Pagus.
Invida ſed poſtquàm letho te fata tulerunt,
Squalet ager, mœrent paſtores, omnia Cœlum
Dira parat; Superûm quanquàm ſi movimus iras,
Heu! ſatis extincto luimus jam crimina Mopſo.
Pergite, paſtores; noſtris en cantibus aura
Ponit, & aurità fugit ægrè rivulus undâ.

TITYRUS.

Te quoque, Mopſe, canam: tu ſervantiſſimus æqui.
Tu quondam Superûm cultor, nunc cura: beatæ
Te nimiùm terræ felix invidit Olympus.
Dicite, Ruricolæ, (nam vos meminiſtis) ad aras
Cum caderet ſupplex, & agris ſitientibus imbres
Poſceret, aut fœtos arceret grandine nimbos;

Digitized by Google

Jupiter ut læto roravit plurimus imbri!
Deſertos procul acta locos ut grandine nubes
Contudit! alta piis ita parent numina votis.

THYRSIS.

Hæc & plura dolens memini; nec, Tityre, miror;
Numen ad arbitrium Mopſi ſi poneret iras.
Nam quæ dona Jovi? quos aris Paſtor honores
Impoſuit? vos templa Deûm ſanctiſſima teſtor;
Si qua prior fuerit Mopſo, quàm cura Deorum.

DAPHNIS.

Mirabar quòd tanta gregem fœtura quotannis
Suppleret, nec grex unquam tamen auctior eſſet;
Cumque ferax ipſi pareret cum fœnore tellus,
Non patrii metas unquam produxerit agri.

TITYRUS.

Nempè ſuis non una Deûm delubra colebat
Muneribus: ſibi parcus enim, ditabat egenos
Prodigus, atque ſuâ contentus ſorte, beatas
Ingenio ſuperabat opes & gaudia Regum.
Non levis ambitio, (paſtores hæc quoque tangit)
Nec Mopſum tenuit gravis anxia cura peculi:
Nunquam clauſa ſuas condebat in horrea meſſes:

Digitized by Google

Sed modici gregis, & patriæ telluris avitas
Hoc unum retinebat opes, ne pagus egeret.

THYRSIS.

Ah! meminiſſe juvat, ſi quos arctaret egeſtas,
Ut præſtabat opem lætus! felicia quondam
Quis fuit hæc circùm loca, Mopſo divite, pauper?
O Superi! veſtris cultus ſi debitus aris,
Si quid adhùc tangunt mortalia, ſi qua bonorum
Præmia, ſi quis honos pietatis, reddite Mopſum.
Reddite; ſera parem nunquam, niſi redditis, ætas
Inveniet. Sed vana precor. caput ante reviſent
Flumina, quàm gelidos levis umbra recurrat in artus.
Pars tamen illius vitabit plurima mortem.
Nam Lupus ante gregi timido, Canis ante ſequaci
Terga dabit Lepori, Mopſi quam fama ſeneſcat.
Si quid & ad famam paſtorum carmina poſſunt,
Mopſe, per hæc nemora æternùm poſt funera vives.
Te rus omne canet; mœſti te, Mopſe, receſſus;
Te referent ſilvæ; raptique docebitur Echo
Perpetuis iterare ſonis præconia Mopſi.
Nunc age: ſiquid habes, nunc excipe, Daphni, canentem.

Digitized by Google

DAPHNIS.

Mopſe, tibi Deus humano ſub corpore mores
Indiderat quondam cœleſti pectore dignos.

TITYRUS.

Mopſe, tibi Charites blando riſere ſuſurro:
Utque tibi decori, decus illis ipſe fuiſti.

THYRSIS.

Triſtia paſtori veſtro date carmina, Muſæ:
Vos coluit Mopſus, Mopſum coluiſtis & ipſæ.

DAPHNIS.

At vos ad tumulum, Virtutes, plangite. Mopſo,
Nominis heu! veſtri cecidit laus quanta ſepulto!

TITYRUS.

Tu tamen in primis tumidos dejectus ocellos,
J, Lepor, exequias; ſi quâ ſis parte ſuperſtes.

THYRSIS.

Tu quoque, pro Lauro, caput atrâ cinge Cupreſſo,
Phœbe pater, tecumque leves Aganippidos undæ
Triſtè ſonent: meruit fieri ſibi talia Mopſus.

DAPHNIS.

Dulcis aquæ rivus feſſis, cantantibus umbra;

Digitized by Google

Agricolis ſegetes: nobis hæc omnia Mopſus.

TITYRUS.

Triſte ſatis grando, pecori Lupus, Auſter hiulcis
Floribus: at chari mihi mors hæc omnia Mopſi.

THYRSIS.

Iſmarios Orpheus lucos, Delphinas Arion,
Amphion lapides; ſed Ariona Mopſus & Orphea,
Dircæumque levi traxiſſet arundine vatem.

DAPHNIS.

Incorrupta fides, facilique modeſtia vultu,
Pectus & officii memor, & mens conſcia recti;
Et pudor, & gravitas, & priſci candor amoris;
Degeneres poſtquàm terras Aſtræa reliquit,
Collibus è noſtris fugêre. Sed æthere ſpreto,
Mopſus ubi terram tenuit, rediere; virumque
Excoluere dolos exoſum arteſque nocendi.
Ergo (quod poterat) reparabilis aurea mundi
Tempora nativo morum candore reduxit.

TITYRUS.

Arboribus denſi colles, tacitique receſſus,
Et qui ſomnifero rivi per ſaxa ſuſurro
Curritis indociles; nec vos jam carmine Mopſi,

Digitized by Google

Nec poſthàc veſtro gaudebit murmure Mopſus.
Hîc illum quondam Paſtores inter agentem,
Seu caneret ſylvas, ſeu rerum arcana moveret,
Aure bibit cupidâ Melibœus [1]. At aſpera poſtquàm
Mopſum Parca tulit, nemus inſonat omne querelis.

THYRSIS.

Hiccîne dux nemorum Melibœus, nomine cujus
Lugdiades latè colles, ſylvæque reſultant!

DAPHNIS.

Hiccîne! conjugio cujus ſoror inclyta Doris
Inſignem ſibi laude Virum [2] devinxit, habenas
Qui tenet imperii, & regni cum Rege labores
Participat, fractoque parat ſuccurrere ſæclo;
Et, ſi fata ſinant, bellis mox pace fugatis,
Tempora felici referet Saturnia Gallo.

TITYRUS.

Hic Melibœus, amor Paſtorum, & gloria ruris,
Aonidumque decus; magis eſt cui publica curæ,
Quàm ſua cuique ſalus; hic poſtquàm jura volentes
Per populos dedit, & graviora negotia ſolus

1 *Illuſtriſſimus* D. DE TRUDAINE, *in Provinciâ Lugdunenſi miſſus dominicus, quo Præſide certis diebus habetur Lugduni virorum eruditorum, celebris Academia, de qua infrà.*

2 *Illuſtriſſimus* D. VOISIN, *Rei militaris in Galliâ ſummus Adminiſter, cui nupſit lectiſſima Fœmina, ſoror* D. DE TRUDAINE.

Suſtinuit, lectos Paſtores cogit in unum.
Tum quæ quiſque domi priùs extudit, ordine certò
In medium profert. Naturæ arcana profundis
E' tenebris pars evolvunt; pars mente ſagaci
Excutiunt occulta modis myſteria miris;
Et quæ cura Deos teneat, quæ præmia recti,
Quæ pravi ſit pœna docent: vetereſque, novoſque
Ancipiti dein uſque juvat ſuſpendere vates
In trutinâ; donec, Melibœo judice, vincant
Vincere qui digni, cedant quos cedere par eſt.

THYRSIS.

Fallor? an immemori nobis de pectore Mopſus
Excidit? uſqueadeó Melibœi grande canentes
Nomen, inaſſuetâ trahimur dulcedine cantûs.

DAPHNIS.

Immo ea quæ canimus Melibœo carmina, Mopſum
Laude pari cumulant: hujus nam gloria tanto
Summa fuit placuiſſe viro. Quem laudibus effert,
Dignum laude facit Melibœus, & ornat amando,
Quos amat. Hæc Mopſum faceret laus una perennem.

TITYRUS.

Hæc faceret, facietque: tamen non una perennem
Laus dabit hæc famam; nam ſerior audiet ætas,

Digitized by Google

Qualia Paſtores inter, miracula ſolers
Ediderit quondam Mopſus, dum cruda rigenti
3 Saxa maritaret ferro (mirabile dictu!)
Aſſultímque ſuo Chalybis ſine pondere moles
Sublimem peteret lapidem (Magneta vocabat
Mopſus) & hîc nullis hæreret pendula vinclis.
Tum lapidi rigidum dixiſſes oſcula ferrum
Figere, & amplexu ſilicem gaudere petito.

THYRSIS.

Quæ revocas animo miracula, Tityre, longos
Spectando memini ſolitum me condere ſoles.
Nec tam vere novo gaudent florente capellæ
Diſtendi cythiſo, nec oves tam gramine paſci,
Quàm Mopſum ſuper his gaudebam audire loquentem.
Proh! quàm mira manu! quàm mira docebat & ore!
4 Nam modò contextam nullâ compage catenam,
Continuoſque aliis alios hærere videres
Annellos, hamata ſilex quos ordine longo
Neſcio quâ virtute tenet, quo glutine jungit.

3 *Magnetem videlicet cujus miros effectus variis experimentis ſic illuſtravit* D. DE PUGET, *ut eo in genere parem nullum habuerit.*
4 *Magneti appendebat annulum ferreum cui non implicitus alter vi tantùm magneticâ adhærebat, & ſic deinceps, alio alium detinente.*

Digitized by Google

5 Et modò dnm vacuum pernix ſecat æthera, viſo
Obſtupeas ſaxo ſuſpenſam ſtare ſagittam.
6 At ſcobe ſi nudum tenui Magneta volutes,
Induit hirſuto mentitos corpore villos:
Ericio qualis ſeges aſperat horrida dorſum.
Ludicra quid referam ſilicis portenta tenacis?
7 Cum ſuper injecto chartæ ſuppoſta rotatur
Pulvere, quotque ſilex, tot habent ramenta figuras
Ferrea, tot curſus properant, tot inire recurſus.
Namque notat ſaxi veſtigia pulvis, & omnes
Cogitur in Lapidis formas: ſic mobile ferrum
Trans obicem tacitas ſaxi ducis audit habenas.
8 Quid loquar, ut parilem geminus Lapis actus in orbem,
Inque vicem ſe ſponte fugant, fugiuntque viciſſim,
Bellaque dira movent? odii ſed uterque vel uno
Immemor attactu, facili ſe fœdere jungunt.
Mox (ut amicorum levis ira redintegrat ignes)

5 Magneti pharetratus imminebat Amor, in lapidem obliquè vibrans ferream ſagittam, qua capillo retenta intactum circa lapidem tremula pendebat.

6 Scobe ferreâ quâ ſic Magnetem operiebat, ut villoſum dixiſſes lapidem.

7 Chartam aſpergebat Scobe, qua Magnetis ſubtùs agitati motus varios ſequebatur, varias induebat figuras.

8 Geminum Polum habet Magnes quilibet: Alterum quo magnetem alium fugat, alterum vero quo allicit. Hinc lepidus ille magnetum ſeſe invicem fugantium & fugientium in capſulâ eburnea ludus. Nam licet uno eodemque motu rotetur capſula, Polorum tamen oppoſitu magnes alter ſiniſtrorſùm, dextrorsùm alter agitur, donec Polum eum obvertas quo ſeſe magnetes attrahant.

Digitized by Google

In gyrum ſine more ruunt, & fortiùs hærent.
Hæc ego mirabar, cauſam tu, Mopſe, docebas.

DAPHNIS.

9 At ſi pulvereum ſubitò conſurgere pontem
Aſpicias, lapideſque ſupra conſiſtere parvos,
Vix oculo credas. Res haud inamœna relatu.
Hinc Lapis alter erat, Lapis alter & inde columnis
Impoſitus geminis, hirtoque rigebat uterque
Pulvere. Quid facerent? ſpatium disjungit amantes.
Ergo novas meditatur amor vel ſaxeus artes.
Jamque remota putes extendere ſaxa lacertos,
Jam fragilem docilis procurrit pulvis in arcum:
Jamque coit, geminoque facit commercia ſaxo.
Talibus aſſiduos paſtorum, Mopſe, labores
Portentis, ſed enim facili magis ore levabas.

TITYRUS.

En majora canam lepidi miracula ſaxi.
Quà fluit illimis tenui cum murmure rivus,
Colle ſub hoc, teneras donec lavo fonte Capellas;
Ocyùs aſpicio Mopſum. Puer, inquit, in umbrâ
Hîc mecum requieſce: juvant umbroſa Capellas

9 *Magnetem geminum, geminæ columnæ impoſitum pulvere obruebat, cum certo Polorum oppoſitu ſcobis ferrea hinc & inde attracta Magnetem alterum pulvereo Ponte alteri committebat.*

Digitized by Google

Litora, dum Siccos torret ſol fervidus agros.
Me locus, aut ipsâ paſtor mihi gratior umbrâ
Detinuit. piceos tulerat de more Lapillos,
Neſcio quid meditans ludi, quo dulciùs horam
Falleret. Ecce cavo fugientem cortice [10] lympham
Haurit, & encauſtos [11] immergit flumine Piſces.
Tum, velut exanimes animam Lapis ater in artus
Fuderit, in numerum falſi colludere piſces,
Inque vicem capiti caput objectare, fugamque
Præcipitare vado; ſummos jam verrere caudâ,
Jam medios celeri fluctus ſulcare natatu.
Tùm ſimul hinc agiles, ſimul hinc diſcurrere Cygni, [12]
Et liquidâ canum rorare aſpergine dorſum.
Nec ſatis: ad nutum cava currunt æquora Puppes. [13]
Non ventus, non remus adeſt, Lapis omnia nudus
Torquet agens, dat vela rati, dat Piſcibus alas,
Implumeſque jubet per flumina ludere Cygnos:
Ut tardarit iter rivus ſpectator, & ipſum
Deſierint avidæ cythiſum tondere capellæ.

10 *Pelvi metallicâ..*

11 *Encauſticos piſciculos, acu magnetica trajectos, quos Magnes ſub Pelvi vario motu actus, velut animabat, adeo celerem variumque piſciculis motum inſpirabat.*

12 *Encauſtici & acu magneticâ pariter trajecti.*

13 *Cymbula argentea quibus inſerta erat acus magnete illita.*

THYRSIS.

Digitized by Google

THTRSIS.

[14] Quid? cum naturæ Mopſus ſecreta canebat,
Ut ruat horrifico ſinuoſum murmure fulmen :
Et gelido tenues concreſcant æthere nimbi:
Ut vi ventorum liquidos ſolvantur in imbres,
Rareſcantque nives, duretur & aëre grando.
Tum canit aſtrorum certos ſuper æthere motus:
Et ferruginei Solis, Lunæque labores :
Labenteſque polo ſtellas : tum crine Cometas
Aſperat horribili : tum mille coloribus Irin
Induit; aut vitro culicem fallente minutum
[15] Ampliat, innumeros aut Papilionis ocellum
Monſtrat in angellos tenui diſcrimine ſectum.

DAPHNIS.

Sed quid tanta juvant naturæ munera? ſævas
Quid cantu moviſſe feras? nec carmina curat,
Dura nec ingenium mors, nec pietate movetur.
Viveret æternùm Mopſus, ſi carmina poſſent,
Si lepor ingenii, pietas ſi tangere fatum.
Ergo perpetuus Mopſum ſopor urget. Inanes

14 *In omni re Phyſica verſatiſſimus erat.*
15 *Celeberrima habebat Microſcopia, quorum ope, papilionum aliorumque hujuſce modi inſectorum ocellos, ſexcentos in angulos ſectos eſſe; & oculo quamvis immobili, omnem ſimul in partem tueri poſſe, monſtrabat.*

Digitized by Google

O lacrymæ ! Superi crudeles ! impia fata !
Ferreus ipſe ! tibi fuerim ſi, Mopſe, ſuperſtes.
Quis te, Mopſe, locus ? quæ te tenet altera tellus ?
Quàve ſequar ? jam vive pecus : jam vivite ſylvæ,
Vivite. Per cautes, per inhoſpita teſqua vagari,
Æterniſque cavas certum eſt implere querelis
Speluncas, ſi forte queam, ſi forte dolorem
Aut fugere, aut rapto moriens comes ire ſodali.

TITYRUS.

At nos ad tumulum funebria dona feremus,
Atque parentales triſti cum carmine fletus.
Te quoque, Daphni, diem cum craſtina fuderit Eos,
Te decet inferias cineri perſolvere muto,
Supremumque vale fari, maneſque ſepulchro
Condere, terque animam ferali voce vocare.
Si qua juvat Mopſum, pietas tua, Daphni, juvabit.
Nec te cura gregis venientem in funera, Thyrſi,
Avocet, impaſti ſtabunt cum matribus Agni
Ad caulas, & plena gement præſepia circùm.
Te Mopſum lugere decet, te Mopſus amavit.
Hic Lyſias [16] aderit Mopſi non degener hæres ;

16. D. D'AVEYNE.

Digitized by Google

Hic Chromis, & Corydon, in quos ſibi ſanguine junctos
Mopſus opes, dulcemque ſimul partitus amorem eſt.
Quin & amicorum denſiſſima turba ſepultos
Certatim aſpergent lacrymoſo flumine manes.
Tu tamen ante alios longè chariſſimus omnes,
O Lycida [17], probitatis honos, claroque verendus
Nomine, conſilii dator incorruptus, & æqui
Præſidium; Lapides moriens cui Mopſus habendos
Hos dedit, attonitis queis ante movere ſolebat
Mille jocos coram paſtoribus; alter ab illo
Tu Lycida, cineri lacrymas dabis; atraque circùm
Buſta gemens: jacet hîc, dices, pars optima noſtri.
Hoc faciet conjux tanto bene nupta marito,
Junior hoc Lycidas ſenioris imago parentis,
Hoc & nata, Deûm cultrix; his dona reliquit
Mopſus, & ad tumulum ſpargent pro munere flores.
[18] Vos quoque, dimidium Mopſi, Beliſæus, & Ægon,
Mnaſilus, & Damon, Corylas, & Alexis, & Arcas,
Vos, nam quemque ſuo ditavit munere Paſtor,
Funeream triſtes longo decet ordine pompam
Cingere, & antiqui dare flebile pignus amoris.
Prætereà memores accepti muneris ibunt

17 *D. DE LAVALETTE, Quæſtorum Præſes.*
18 *Nullum ex amicis teſtamento indonatum prateriit.*

Exequias Mopſo, tunſi pia pectora Palmis
Ruris Athenæi Paſtores [19], ſcrinia Mopſus
His dedit, & moriens hæc verba noviſſima dono
Addidit: Ite mei, mea nuper cura, libelli:
O! mihi dilectis Paſtoribus utile munus
Ite, ſuâ vos ſponte legent, & dantis amore.
Dixit: & averſos Mors impia clauſit ocellos.
O fortunati Paſtores munere tanto
Feliceſque nimis tantus quos auxit amicus!
O! tua quàm longas volitabit fama per oras,
Mopſe! viros, memores dono dignate perenni
Diſſita nam latè paſcunt armenta per orbem,
Barbaricaſque tuum ſylvas reſonare docebunt
Nomen; & Eoâ quà Phoſphorus exit ab undâ,
Quàque fatigatis deſcendit in æquora Titan
Pronus Equis, hominum longinqua per ora feretur
Mopſus, & externas implebit nomine gentes.

THYRSIS.

Intereà, cineri dum reddent juſta ſodales,
Inſcribam tumulo breve, ſed memorabile carmen:
HIC SITUS EST FAMA MOPSUS POST FATA SUPERSTES

19 *Patres Soc. Jeſu juxtà Athenæum Lugdunenſe degentes, Bibliothecâ Libris lectiſſimis refertâ locupletavit.*

FINIS.

Digitized by Google